

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta** : 2045

**Auteur(s)** : Étienne du Mesnil [chevalier]

**Bénéficiaire(s)** : Robert Poulain, Rouen (archevêque)

**Genre d'acte** : charte

**Authenticité** : non suspect

**Datation** : 1216, 4 octobre

**Action juridique** : autre

**Langue du texte** : latin

## Analyse

Étienne du Mesnil, chevalier, et Ida, son épouse, cèdent, à titre de fiefferme perpétuel, à Robert Poulain, archevêque de Rouen, leur moulin Jourdain, situé à Louviers, sur le pont Esperlent, moyennant quatorze livres de rente annuelle, payable en deux termes, à la prévôté de l'archevêque à Louviers. Mention et réserve de certains droits de moute et d'usage au profit de plusieurs fiefs.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Bonnin Théodose, *Cartulaire de Louviers*, Évreux, Hérissé, 1870-1873, 6 vol., t. 1, n° CXXX, p. 169-170.

Texte établi d'après a

Sciant omnes presentes et futuri quod ego Stephanus de Mesnillo, miles, assensu Ide, uxoris mee, et heredum meorum, concessi et tradidi domino Roberto, Rothomagensi archiepiscopo, molendinum meum de Loviers, quod vocatur molendinum Jordani, situm supra pontem Esperlent ; tenendum sibi et successoribus suis ad feudalem firmam et perpetuam, cum omni dominio quod ibi habebam vel habere poteram et cum omni seitta et cum omnibus pertinentiis, videlicet, cum molta de Parco et de Belvier, et de feodo meo de Vacaria, et de feodo meo quod teneo de sancto Taurino apud Loviers ; ita quod Gauffridus Veisdie debet invenire unum bolengarium sufficientem molentem ad illud molendinum annuatim, de feodo de la Perruca, vel .la. solidos currentis monete annuatim, Galterus le Machon, de feodo Fulberti Musart, debet invenire similiter unum boulengarium sufficientem annuatim, vel .la. solidos annui redditus. Si quis autem de predictis feodis attinctus fuerit quod moluerit ad aliud molendinum quam ad predictum molendinum, habebit sacum et farinam vel panem coctum et insuper dominus archiepiscopus habebit .xij. denarios de emenda. Preterea feodum de Boes, quod heredes Rogeri Malviton tenent apud Saarvillam et apud Vacariam, debet molere ad molendinum predictum, salva molta libera ad proprium usagium heredis qui manebit in capitali masagio, et salva sicca molta libera quinque acrarum terre, quas Mathillis, uxor Gauffridi Ruptarii, tenet. Et sciendum est quod si quis de predicto feodo de Boes attinctus fuerit moluisse ad aliud molendinum quam ad predictum, saccus et farina vel panis coctus erit molendinari ; emenda vero erit heredum Rogeri Malviton. Sciendum autem est quod Aelis de Cailly potest molere ubicumque voluerit, secundum tenorem carte sue quam de me habet. Et si ego ves heres meus maneremus apud Loviers, meum astrium vel heredis mei esset liberum de molta. Sciendum est insuper quod omnes residentes in feodis antedictis debent molere ad molendinum supradictum pro residencia, et si quis aliquam terram de predictis feodis coluerit, qui non sit residens in feodo illo, siccam moltam pacabit, exceptis illis qui non habuerint libertatem, sicut in carta ista exprimitur. Prefatum vero molendinum cum omni ceuta et omnibus prefatis pertinentiis debemus ego et heredes mei, sicut prenotatum est, garantizare et deffendere prefato domino Roberto, Rothomagensi archiepiscopo, et omnibus successoribus suis contra omnes homines, exceptis duobus modiis bladi, quos Eustachia, matertera mea, habet in maritagio in

eodem molendino, videlicet unum modium frumenti et unum modium grossi bladi sibi et heredibus suis. Pro hac autem feodali et perpetua firma tenetur archiepiscopus Rothomagensis, quicumque ille fuerit, reddere annuatim michi et heredibus meis quatuordecim libras currentis monete in prepositura de Loviers, per manum prepositi sui, videlicet, .vij. libras infra tertium diem Pasche, et alias .vij. libras infra tertium diem sancti Michaelis ; et si prepositus de Loviers non redderet michi prefatam pecuniam sive heredibus meis ad prefatos terminos, ipse teneretur michi vel heredibus meis dare decem solidos currentis monete pro emenda.  
Ut autem hoc ratum et inconcussum permaneat, presentis scripti et sigilli mei munimine roboravi.  
Actum fuit hoc anno gracie M° CC° XVJ°, IIIJ° nonas octobris.